Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ IIII. ſuper declaratione temporis ad obſeruan. Decreta ſacri, œcumenici, & generalis Concilii Tridentini.



ROMAE Apud Antonium Bladum Impreſſorem Cameralem. 1564.

PIVS Epiſcopus Seruus Seruorum DEI
Ad perpetuam Rei memoriam.

SICVT ad ſacrorum Conciliorum decreta ac Canones, auctoritas atq; confirmatio apoſtolicæ ſedis & debet, & ſolet accedere, Ita ſi qua ſuper eis exorta ſit dubitatio, eiuſdem ſedis iudicio, & declaratione tollenda eſt. Ad aures noſtras peruenit multos eſſe qui dubitent ex quo tempore cœperint decreta ſacri generalis Cōcilii Tridentini ad reformationem, & ius poſitiuum duntaxat ſpectantia eos ad quos pertinent obligare, illa præſertim quæ tempora certa præſtituūt ad prouinciales diœceſanaſq; Synodos celebrandas, ad ſacros ordines ſuſcipiendos, ad religionem profitendam, ad parrochiales eccleſias aliaq; beneficia eccleſiaſtica quæ eiuſdem Concilii decretis retineri prohibitum ſint reſignāda, & ad complures res huiuſmodi exequendas, ac alias omnes ad prædictam reformationem iuſq; poſitiuum tantum ſpectantes quæ obſeruari aut euitari debeant. Nos itaq; vt omnis cōtrouerſia dubitatioq; tollatur. Motu proprio eam rem prout rationi iuri, & æquitati conuenire cenſuimus, duximus declarandam: Nam etſi ipſius Concilii decreta etiam de venerabilium fratrum noſtrorū Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, & aſſenſu in Conſiſtorio noſtro ſecreto confirmata a nobis fuerunt ſub finem Menſis Ianuarii, & ab eo etiā

tempore apud hāc ſanctam ſedē obſeruari cœperunt, quia tamen non parū temporis in eis Romæ diligenter emendateq; imprimendis neceſſario cōſumptum fuit, & iure etiam communi ſancitum eſt, vt Conſtitutiones nouæ vim nō niſi poſt certum tēpus obtineāt, æquum nobis, & iuſtū viſum eſt, prædicta decreta omnia ad dictā reformationem iuſq; poſitiuum duntaxat ſpectantia a kl. Maii proxime præteriti omnes obligare cœpiſſe, neq; poſt eā diem excuſationem cuiuſquam, quod ea ignorauerit, admittendam, atq; ita apoſtolica auctoritate declaramus, ac definimus, & ab omnibus iudicari debere mandamus, atq; ſtatuimus. Decernētes irritū, & inane, ſi quid ſecus a quoquā quacunq; dignitate, auctoritate, et poteſtate prædito cōtigerit iudicari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, aliiſq; in contrarium facientibus quibuſcunq;. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ declarationis, definitionis, mandati, ſtatuti, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorū Petri, & Pauli Apoſtolorū eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrū Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo quingētesimo Sexageſimo quarto: quintodecimo kal. Auguſti. Pont. Noſtri Anno quinto.

Fæd. Card. Cæſius.

Cæ. Gloriérius.
H. Cumyn.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

ANNO à Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo Quarto indictione ſeptima die vero vigeſima menſis Iulii Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Pii diuina prouidentia Papæ quarti, anno quinto. Retroſcriptæ litteræ Affixæ lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis Baſilicarum principis apoſtolorum de vrbe, & ſancti Ioannis Lateraneñ. Necnon Cancellariæ apoſtolicæ, & in Acie Campi Floris. Per Nos Iacobum Carta. Et Iulium Parinum prælibati S. D. N. Papæ Curſores.

Antonius Clerici Magiſter Curſorum.

750
U.F.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium,

ANNO à Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo Quarto indictione ſeptima die vero vigeſima menſis Iulii Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Pii diuina prouidentia Papæ quarti, anno quinto. Retroſcriptæ litteræ Affixæ lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis Baſilicarum principis apoſtolorum de vrbe, & ſancti Ioannis Lateranen. Necnon Cancellariæ apoſtolicæ, & in Acie Campi Floris. Per Nos Iacobum Carra. Et Iulium Parinum prælibati S. D. N. Papæ Curſores.

Antonius Clerici Magiſter Curſorum.

250
U.F.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

ANNO à Natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo Quarto indictione ſeptima die vero vigeſima menſis Iulii Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Pii diuina prouidentia Papæ quarti, anno quinto. Retroſcriptæ litteræ Affixæ lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis Baſilicarum principis apoſtolorum de vrbe, & ſancti Ioannis Lateranen. Necnon Cancellariæ apoſtolicæ, & in Acie Campi Floris. Per Nos Iacobum Carra. Et Iulium Parinum prælibati S. D. N. Papæ Curſores.

Antonius Clerici Magiſter Curſorum.